



SANCTUS Fridolinus pietate & doctrina uera ornatus temporibus Clodouei magni Francorum regis, qui primus ex ea gente Christianam fidem suscepit, Argentinae Euangelium praedicauit, & multos homines ad fidem Christi conuertit, Anno quadringentesimo nonagesimo. Postea uero secundum Rheni flumen ascendens apud Sequanos habitare coepit, atque Seckingeni monasterio & oppido initia dedit. Deinde etiam apud Curiam Rhetorū praecone[m] fidelem Christi egit, atque multos in uera fide confirmauit. Postea alpes transcendens Glaronensem populum in Christiana religione instituit, & uitae innocentia ac uera doctrina ad meliorem uiuendi modum perduxit.

Erant autem tum Vrsio & Landolphus eius regionis praesides, qui cum nullum prolem haberent, atque Christi fidem suscepissent, totum illum tractum S. Fridolino dono dederunt, anno 500, non quidem ut superbe in locis gentium more dominaretur, uerum ut commodius Ecclesiae praesesse, aduersarijs fidelibus resistere, atque pauperibus succurrere posset. Itaque Fridolinus hanc regionem gubernandam suscipiens, primo indigenis omnia ea onera, quibus sese grauatos arbitrabantur, benignè remisit, atque eius loci iurisdictionem cum decimis & censibus Seckingeni monasterio assignauit, quod prius ipse inchoarat. ut commodius pii homines ibidem sustentari possent.